

da zu ihr alle Heiden wohl oder übel gravitierten. Sehen wir daher von dem allezeit geltenden übernatürlichen Ziele ab, das durch das Protevangelium restauriert wurde, so springt die grosse Progression des Fortschritts in die Augen: Die Zeit vor Moyses verhält sich zu der nach ihm und zu der Periode nach Christus wie auf dem allgemein und factisch übernatürlichen Hintergrunde sich verhält natürliche Religion zur aussernatürlichen und beide zur Fülle der übernatürlichen. Und diese Hinweise mögen als Richtpunkte für den herrschenden Fortschritt vor Christus gegenüber unserem augenblicklichen Zwecke wohl ausreichen.

Wir übergehen die vielen Schwierigkeiten, welche jeden Schritt der Betrachtung begleiten, weil die bisherigen Gesetze noch keine ausreichende Antwort zu geben vermögen und wenden uns zum andern Theil des Programmes um seiner Zeit die verwickelten Fragen der 2 ersten Weltalter wieder aufzugreifen.

(Fortsetzung folgt in weiteren Artikeln.)

## Series Chronologico-critica

### Hagiographorum sexti, septimi et octavi saeculorum.

Scriptis R. P. D. Beda Plaine, O. S. B.

(Confer: 1892 t. I. pg. 54—63.)

#### VII. Pictavia et Pagus Lemovicinus.

##### 1. Baudonivia.

Ineunte hoc seculo, Baudonivia, sanctimonialis S. Crucis Pictaviensis omnem, jubente sua Abbatissa, dedit operam ad recte enarrandum vitam et virtutes S. Radegundis (13. aug. 587) a qua educata fuerat, et cujus se humiliter dicit minimam famularum.<sup>1)</sup> Suae vero scriptioni libri secundi titulum dedit ex eo quod primus computabatur liber ille, quem vir apostolicus Fortunatus composuerat,<sup>2)</sup> et de quo aliquid in capite praecedenti dictum est. Insuper Baudonivia nihil iteravit, sed tantum ea quae praetermiserat brevitatis gratia Praesul, in suo libro inseruit Sanctimonialis.<sup>3)</sup>

Ursinus, secundus biographus S. Leodegarii Pictavus etiam erat, utpote Abbas S. Martini Locogiacensis, sed de eo jam aetum est superius.

##### 2. Duo anonymi Lemovicenses.

Ad primam septimi seculi medietatem spectare videntur duo anonymi Lemovicenses, qui pie et correcte duplicem S. Aredii

<sup>1)</sup> Prolog. in Vitam S. Radegundis.

<sup>2)</sup> Ibidem.

<sup>3)</sup> Prologus jam citatus.

primi Abbatis Atanensis (25. aug. 580?) vitam conscripserunt, quarum una brevissima est, et nihil de miraculis a Sancto post mortem patris refert, posterior vero non solum prioris videtur amplificatio, sed etiam prima post mortem patrata miracula narrat quasi a teste oculari litteris exarata.<sup>1)</sup> Unde patet coevum esse istius scriptorem. Aliunde uterque anonymus aliqua tum ex Regula S. Benedicti, tum ex S. Gregorio Turonensi mutuatus est.

Nunc vero Ligerim transiens Armoricanam Britanniam attingo.

### VIII. Britannia Gallica seu Armorica.

Habuit haec provincia in decursu septimi seculi suos litteratos, qui laudanda cum diligentia scripto mandaverunt gesta et virtutes SS. Sampsonis, Pauli Leonensis, Brioci, Machutis et aliquot aliorum virorum apostolicorum, sed infeliciter exciderunt injuria temporum haec scripta primigenia et ad nostras manus non pervenerunt, praeter duo scilicet primam vitam S. Tuduali, Episcopi (30. nov. 580?)<sup>2)</sup> a Lovenano discipulo, scriptam quae jam duobus vicibus publici juris facta est, et aliam scriptionem, quae tractat de gestis S. Judicaelis regis et deinde monachi (17. dec. 650).<sup>3)</sup>

### IX. Cenomania et Andegavia.

#### 1. Quidam anonymi Cenomanenses.

Cenomannorum solitudines in sexto et septimo seculis exultae fuerunt a multis monachis seu anachoretis, e quorum numero plures ad eximiam sanctitatem pervenerunt, merueruntque inter eorum coevos aut saltem suppare invenire biographos. E quorum numero Sanctorum eminent S. Leonegisilus (13. jan. 560)<sup>4)</sup>, S. Carilefus (1. jul. 580), S. Erneus (9. aug. 570?), S. Alveus (11. sept. 585), S. Leonardus Corbiniacensis seu Vendoperensis (15. oct. 570?), S. Paduinus Abbas<sup>5)</sup> (15. nov. 580) etc. Istorum omnium vitae sunt quidem perbreves et ab anonymis scriptae sed fide et auctoritate dignae videntur. Insuper prae distantia temporum quidquid dicitur de rebus gestis in septimo seculo pluris aestimandum est et multum adjumenti praestare potest ad describendos hujus tam obscurae epochae annales. Idem judicium ferendum est a fortiori de duobus aliis anonymis similiter Cenomanensibus, qui indubie erant coevi. Uni debetur vita S. Domnoli Episcopi Cenomanorum (16. maii 581), alteri vero, vita S. Siviardi Abbatis Anisolensis (1. mart. 685).

<sup>1)</sup> Prologus in secundam vitam S. Aredii.

<sup>2)</sup> Prima editio debetur docto viro Anatolio de Barthelemy, secunda vero Arthurio de la Borderie qui etiam magna eruditione claret.

<sup>3)</sup> Hanc ultimam pro parte tantum edidi tanquam appendicem Vitae S. Mevenni. — *Analecta Bolland.* t. III, p. 157 et 158.

<sup>4)</sup> Hujus vita pro prima vice edita est a Bollandianis sociis. — *Analecta Bolland.* t. 3, p. 159—164.

<sup>5)</sup> Acta SS. O. S. Benedicti t. 1, p. 259 et seq.

Primus erat presbyter et scripsit jussu Haduindi Episcopi (625—652) „secundum quod conversatus fuerat cum S. Domnolo in hac vitae mortalis peregrinatione et in pluribus ejus miraculis testis fuerat oculatus.“<sup>1)</sup>

Secundus vero Siviardi discipulus „optime noverat magistri ab adolescentia sanctam conversationem“ eamque pie et eleganter descripsit sub forma cujusdam homiliae in die ejus natali prolatae.<sup>2)</sup>

## 2. Anonymus Andegavensis.

Cuidam anonymo Andegavensi debetur S. Magnobodi Episcopi Andegavensis (16. oct. 660) pie et correcte scripta Vita. Hunc anonymum coevum esse et plena fide dignum patet ex multis locis, ubi ea, quae vidit oculis suis simpliciter et sine ullo fuco narrat.<sup>3)</sup>

## X. Normannia.

Neustria, quam hodie Normanniam vocamus, fecunda fuit in hoc aevo tum Sanctorum tum hagiographorum parens et mater.

### 1. S. Audoenus.

E quorum numero prae illustriori fama venit primo loco S. Audoenus, qui primitus vocabatur Dado in aula Regum Francorum, ubi referendarii gradum tenebat postea monachus factus est et tandem obiit archiepiscopus Rotomagensis (24. aug. 684). Huic debetur prolixa et eximia Vita S. Eligii Episcopi Noviomensis (1. dec. 659).<sup>4)</sup> In hoc scripto „de ortu, vitaque episcopali et glorioso obitu S. Eligii, quem ad plenum experti sumus, adjuvante gratia superna, explicandum suscepimus.“<sup>5)</sup> Haec scriptio duobus libris constat, quorum primus de his, quae Sanctus gessit sub habitu seculari, alter vero de his, quae in episcopatu operatus est, tractat. In hoc ultimo referuntur plurima seu ante seu post mortem patrata miracula, ac etiam aliquae, data occasione, integre inseruntur homiliae ab ipso sancto prolatae. Tanta vero erant in Audoeni modestia et veritatis studium ut vitae S. Eligii jam compositae textum, antequam divulgaretur, transmisit auctor ad quemdam amicum et coepiscopum Rodobertum nomine, cujus sedes incerta est, „rogans eum ut si quid defectuosum erat, juxta sapientiam sibi collatam studiose emendaret.“<sup>6)</sup>

1) Prolog. in Vitam S. Domnoli.

2) Vita S. Siviardi, nr. 2, et alibi.

3) Vita S. Magnobodi nr. 18, 31, 47.

4) Patrol. lat. t. 87, p. 479 et seq.

5) Ibid. Prologus vitae.

6) Prologus vitae S. Eligii.

## 2. Duo anonymi.

Post Audoenum sese exhibent duo anonymi, qui unus post alium scripto mandaverunt vitam S. Wandregisili fundatoris et primi abbatis Fontanellae (22. jul. 667).

Primus ex iis, qui monachus erat Jurensis id est monasterii alumnus in quo Wandregisilus ipse monasticam primo induerat vestem sibi proposuit enarranda „multa a semetipso visa, plerumque etiam venerabilium monachorum seu discipulorum, qui Sancto per prolixa tempora servierunt, relatione prolata.“<sup>1)</sup> Unde patet eum esse auctoritate dignum. Secundus vero Monachus Fontanellensis et Sancti discipulus fere similia in prologo asserit, suamque scriptionem dicat Lantberto S. Wandregisili in abbatiali dignitate primo successori, et jam promoti ad sedem Lugdunensem, quae promotio contigit circa annum 678. Unde sat clare deducitur tempus istius scriptionis.

### Anonymus Nantensis.

Alio anonymo, in litteris et poesi sat versato debetur primigenia Vita celebris S. Marculfi Abbatis Nantensis in dioecesi Constantiensi (1. mai 570?). Bona profecto fide et eleganti stylo narrat scriptor iste, et licet suos testes nunquam inducat suppar tamen erat si non coevus, siquidem, eo vivente, venerandum Marculfi corpus, quod jubente S. Audoeno Rotomagensi, circa annos 650—670 translatum fuit, quiescebat adhuc tunc temporis in suo Nantensi tumulo.<sup>2)</sup>

### Anonymus Uticensis.

Iisdem annis ascribi posse videtur Vita pie et eleganter scripta S. Ebrulfi primi Abbatis Uticensis (29. dec. 590)<sup>3)</sup> nam licet auctor, qui eam scripto mandavit, nec discipulus sancti nec etiam coetaneus fuerit, optime tamen Sancti Patris gesta noverat, ac proinde non nimium distans erat ab ejus diebus.

### Anonymus Bajocensis

Cuidam anonymo Bajocensi debetur vita pie et eleganter scripta S. Reverentii Confessoris (12. sept. 230?) quae recenter in lucem edita est a docto Julio Lair<sup>4)</sup> et inter antiquiora documenta Bajocensis Ecclesiae ad nos transmissa computari debet, sed nihil in ea de epocha fidei christianae apud Bajocenses annuntiatae definitur. Unde lis sub iudice remanet, quidquid a contrario dicat D. Lair, rejiciens gratuito testimonium affirmativum alterius anonymi, de quo in nono seculo forsitan agetur.

<sup>1)</sup> Prologus in Vitam S. Wandregisili.

<sup>2)</sup> Vita S. Marculfi, prolog. et nr. 23.

<sup>3)</sup> Acta SS. O. S. Benedicti t. 1, p. 335 et seq.

<sup>4)</sup> Bibliotheca scholae diplomaticae (gallice: Bibliothèque de l'Ecole des Chartes) ann. 1863, t. 4, p. 303—308.

## XI. Insula Franciae et Provincia Aurelianensis.

Septem numero sunt sed omnes anonymi scriptores quos hic me commemorare condecet.

### Anonymus Carnotensis.

Primo loco venit biographus S. Betharii (vulgo Bohaire) Episcopi Carnotensis (2. aug. 623). Coevus erat iste scriptor ac tam aperte ei nota erat series rerum gestarum a Pontifice ut ei sufficiat „decerpere ex eis redolentia suavitatis lilia, floresque diversorum odorum ad nardum suum componendum.<sup>1)</sup>

### Anonymus Latiniacensis.

S. Furseus (16. jan. 650) Hibernus genere, fundator et primus abbas Monasterii Latiniacensis (vulgo Lagny) sub Regula S. Benedicti, plures prae sanctitatis et miraculorum fama meruit habere biographos quorum primus erat coevus, ejusque scriptio fons et origo reputatur unde hausere alii S. Fursei encomiastae. Hujus vero anonymi antiquitas et auctoritas in dubium revocari non possunt, siquidem venerabilis Beda qui ineunte seculo octavo historiam Anglorum scribebat ecclesiasticam, vitam S. Fursei fiducialiter commendat, ex eaque aliquid de verbo ad verbum mutuatus est.<sup>2)</sup>

### Anonymus Resbacensis.

S. Agilus primus abbas monasterii Resbacensis (30. aug. 650) nec virtute nec miraculorum gratia Furseo inferior fuit, sicut ei non defuit si non coevus, saltem suppar biographus, qui „postquam sagaci studio compererit vera et certa de meritis et virtutibus B. Abbatis“<sup>3)</sup> ea deinceps sat fuse pie et luculenter pro aetate litteris commendavit.

### Anonymus Laudunensis.

Cuidam anonymo Laudunensi debetur Vita S. Salabergae viduae et abbatissae S. Joannis Laudunensis (22. sept. 655), dedicaturque ista scriptio ipsius Sanctae filiae Austrudi, cujus mors contigit circa ann. 680. Unde patet auctorem esse coevum, qui insuper sese aliquot vicibus oculatum testem ostendit.<sup>4)</sup>

### Anonymus Suessionensis.

Contigit die V. martii anni 675 mors pretiosa S. Drausii Episcopi Suessionensis cujus vita statim pie et eleganter descripta est a coevo, qui insuper ad fuit testis oculatus aliquot miraculis cito post mortem patrat.<sup>5)</sup>

<sup>1)</sup> Prolog. in Vitam S. Betharii.

<sup>2)</sup> Hist. eccles. Anglorum, III. 19.

<sup>3)</sup> Prologus in Vitam S. Agili.

<sup>4)</sup> Vita S. Salabergae nr. 13, 21 et seq.

<sup>5)</sup> Vita S. Drausii nr. 14 et seq.

### Anonymus Flaviacensis.

S. Geremarus, fundator et primus Abbas Flaviacensis monasterii in agro Belvacensi (24. sept. 658) splendore virtutum, miraculorumque fama mira refulsit in septimo seculo. Vita vero ejus litteris exarata est a monacho ejusdem loci suppare saltem, si non coaevo, qui in litteris sacris apprime versatus, et eximio veritatis amore repletus librum prorsus commendabilem posteritati transmisit, licet stylus sit aliquoties incultus, seu amplificationem et prolixitatem sapiat.

### Anonymus Calensis.

Concludatur ista paragraphus cum nomine magna veneratione digno B. Bathildis Francorum Reginae, ac plurium monasteriorum fundatricis seu instauratricis (26. jan. 680). Prima vita ejus nimis compendiosa debetur cuidam anonymo, cujus sermo minus comptus, rusticitatem redolet, sed ipse saltem coaevus erat et ardenti veritatis studio succensus unde ejus scriptio multum profuit pietati et historiae. Nunc Rhenum transiens Germaniam percurram, non tamen ibi collecturus magnam frugum segetem.

### §. 4. Germania et Helvetia.

S. Magnus (6. sept. 660) inter precipuos hujus aetatis sanctos jure merito recensetur. Germanus origine, professione vero monastica discipulus SS. Columbani et Galli, Faucense (vulgo Fuessen) in Bavaria fundavit, rexitque multis annis monasterium. Vita hujus sancti virtutibus es signis resplendens scripto mandata fuit ab aliquo anonymo coaevo et familiari, verum res lugenda! haec lucubratio ad nos non pervenit nisi interpolata, et aliquot aucta parum fide dignis additamentis.

### Anonymus Coloniensis.

Alter anonymus similiter coaevus brevissime enarravit labores apostolicos et triumphalem Passionem S. Kiliani (7. jul. 689), qui Hibernus genere, crudeliter trucidatus fuit in Franconia in odium Christi et verae fidei. Ex hac descriptione tanquam ex fonte fere unico primigenio prodierunt alia scripta de eodem Sancto, et de ejus discipulis tractantia.

Bobolenus monachus Luxoviensis et fere coaevus, nobis transmisit Passionem alterius Martyris non minus laude digni, scilicet S. Germani Abbatis Grandivalensis in Basileensi agro (21. feb. 666.) Narratio simplex est, a testibus oculatis desumpta, et ab omni fucō aliena.

### §. 5. Italia.

Quamvis currente septimo seculo res litteraria apud Italos in statu meliori quam apud alia Europae regna versata fuerit, pauca tamen numero sunt et fere semper anonyma scripta hagio-

graphica Italorum hujus aetatis, aut saltem ea, quae ad meam notitiam devenerunt. Etenim tres solummodo hagiographi nomine proprio mihi noscuntur, scilicet.

1. Marcus, discipulus sanctissimi Patris nostri Benedicti, Monachorum Patriarchae occidentalium vitam metrico et pie sed nimis parce celebravit.<sup>1)</sup>

2. Faustus, Monachus Cassinenses vitam scripsit S. Mauri Abbatis Glannafoliensis (15. jan. 584) cui familiariter multis annis adhaeserat. Quae lucubratio licet non ad nos pervenerit omnis interpolationis experta, alicujus tamen pretii aestimatur a criticistis sanioris iudicii.

3. Leo Neapolitanus. Patricia, virgo nobilis Constanti-nopolitana, mare transiens Neapolim aufugit humanae gloriae vitandae causa, ibique tanta refulsit sanctitate ut inter civitatis patronas cooptari meruerit (25. aug. 640?) Hujus sanctae eximiae vita latine post quemdam anonymum graecum, descripta fuit a Leone pres-bytero Neapolitano juxta quod didicerat a sanctimonialibus asceterii, quod ipsa sancta fundaverat.<sup>2)</sup> Nunc venio ad anonymos, e quorum numero quinque solummodo recensebo, nempe:

1. Auctorem Passionis S. Martini, Papae et martyris (12. nov. 655)<sup>3)</sup> qui testis oculatus fideliter et pie refert et describit gravia et multiplicia tormenta a Sancto Pontifice fortiter pro fide tolerata.

2. Corsicus forsitan erat anonymus, cui debentur Acta S. Juliae V. et M. quae apud Corsicam Insulam passa est (22. maii 460?) bona fide et simpliciter scripta.

3. Aternensis vero erat tertius anonymus, qui scripto mandavit Passionem S. Cethei Amiternae Episcopi et Martyris tempore Longobardorum (13. jun. 595).

4. Tuscum appellabo ex patria sua Anonymum qui pauca sed optima accurate collegit de S. Anselmo, Episcopo Polymartensi in Etruria (24. apr. 560).<sup>4)</sup>

5. Ultimo loco venit anonymus, cui debetur Vita correcte et eleganter scripta S. Remberti (13. jun. 675) trucidati in odium justitiae jussu impii Ebroini apud Alpes Graias. Utrum vero iste anonymus fuerit coaevus seu tantum suppar, controvertitur inter eruditos.

His de septimae aetatis hagiographis breviter elucidatis nunc ulterius procedendum est et octavum aggrediar seculum.

<sup>1)</sup> Patrolog. lat. t. 80, p. 183 et seq.

<sup>2)</sup> Prolog. in Vitam S. Patriciae.

<sup>3)</sup> Patr. lat. t. 87, p. 111 et seq.

<sup>4)</sup> Analecta Bolland. t. 2, p. 270—278.